



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. IX. Vtrum ad gratiam habitualement virtutes etiam morales, seu
Cardinales per se infusæ pertineant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

qui per vsum actuum infusorum acquirantur. Tum quia tales habitus, non essent per se infusi, quia essent acquisiti per actus, atque ita non essent supernaturales; ergo nec possent per se influere in actus supernaturales, eo nimirum modo, quo solet habitus acquisitus concurrere ad actus, ergo nec possent tales habitus dare facilitatem ad actus per se infusos eo modo, quo solet illam dare habitus acquisitus ad suos actus. Tum etiam quia habitus dat facilitatem informando potentiam, & magis illam actuando, & determinando, ut inductione constat: non potest autem habitus acquisitus informare, & magis determinare potentiam, ut informatam habitu per se infuso, alioqui oporteret, ut habitus acquisitus informaret infusum, quod verisimile non est; ergo non possunt esse habitus acquisiti dantes facilitatem ad hos actus. Vnde sumitur optima ratio, quia virtus per se infusa per se non indiget hac facilitate, quia est virtus in suo genere completa, & suprema (ut sic dicam) & non habet contrariam eiusdem ordinis, solumque ex parte subiecti potest in exercitio suorum actuum aliquam difficultatem pati. Ideoque necessarium non est, ut illa facilitas, quam ex vfu talium actuum Theologiam experiri possumus, ex aliis virtutibus acquisitis ad eosdem actus inclinantibus proveniat, sed ex aliis dispositionibus subiecti, quæ vel remoueant impedimenta contraria, licet inferioris ordinis, vel aliquo modo, saltem remoto, cooperentur, & ita vsum specierum intelligibilium, quæ faciliorem reddit apprehensionem rerum credendarum, & facilitas in rationibus concipiendis, quæ faciunt res fidei credibiles, vel in soluendis contrariis, & habitus circa hæc acquisitus dat facilitatem in credendo, & consequenter potest etiam dare in sperando, vel amando. Mixime si accedat vsum acquisitarum virtutum, ex quo impedimenta tam amoris quam spei minui, vel auferri possunt.

CAPVT IX.

Utrum ad gratiam habituales virtutes etiam morales, seu Cardinales per se infuse pertineant?

Virtus moralis in quadam lata significatione dici potest omnis virtus voluntatis, quatenus omnis actus voluntatis humano modo elicitus moralis est, cum sit liber. Cum ergo omnis virtus voluntatis sit principium per se actus formaliter liberi, & honesti, recte dici potest moralis virtus. Et hoc modo etiam spes, & charitas dici possunt virtutes morales, quia vero hæc ad altius quoddam genus virtutum spectant, ut de claratum est, ideo nomen virtutis moralis vsum accommodatum est ad significandum genus virtutum à Theologalibus distinctarum. Hoc ergo modo virtutes morales dicuntur omnes, quæ immediate non attingunt Deum, sed in materia creata proxime versantur. Sunt autem hæc virtutes in specie consideratae quam plurimæ, quæ prout ad voluntatem pertinent, ad tria capita reducuntur, quæ sunt iustitia, fortitudo, & temperantia, quibus ex parte intellectus adiungitur auriga earum prudentia, & ita resultant quatuor illæ virtutes, quas Cardinales vocant Ambrosius lib. 5. in Luc. cap. 6. explicans quatuor beatitudines, quia moralis vita in eis versatur, tanquam in cardine, sicut Gregor. 2. Moral. capit. 36. dixit quatuor has virtutes significatas per quatuor angulos domi Iob, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Sic ergo nunc de virtutibus moralibus tractamus.

De quibus vltimus supponimus posse per actus ordinis naturalis in eodem ordine acquiri, quæ ex modo suæ naturalis generationis acquisitæ vocantur,

ideoque licet contingat à Deo præternaturaliter infundi, semper acquiruntur sunt, saltem aptitudine, ideoque vocantur infuse per accidens. De his autem virtutibus, tanquam fere certum supponimus, neque infundi omnibus iustis, neque per se ad habituales iustitiam, seu gratiam pertinere. In quo fere omnes Theologi conveniunt, vno excepto Marfilio in 4. q. 10. artic. 1. part. 2. post argumenta contra conclusionem in quadam prenotacione, & in solut. ad 1. ubi dicit, eadem iustitiam, quæ acquiri potest per actus, infundi cum charitate si homo illam antea non habebat, si vero præexistebat informis, infundi in esse virtutis, quia per charitatem formatur. Et idem dicit de penitencia, quam putat esse eandem virtutem cum communi iustitia, ac de cæteris virtutibus moralibus. Moueri potuit quia ex vna parte non creditur dari virtutes morales per se infusas, & ex alia necessarium creditur ad perfectionem habitualis gratiæ infusæ, ut cum omnibus virtutibus infundatur. Hæc tamen sententia, ut dixi, singularis est, ideoque contrariam, quæ communis est, ut omnino veram supponimus. Tum quia cum hæc virtutes habeant suum naturalem modum productionis, licet ex peculiari ratione, aut privilegio fuerint infusæ Christo, B. Virgini, Adamo, & fortasse alicui alteri, nihilominus credibile non est, ordinaria lege infundi omnibus iustis, quia Deus secundum ordinariam legem per causas secundas operatur, ut connaturali modo rem vnam, B. namquamque producit. Tum etiam quia nulla cogitari potest ratio conueniens illius ordinariæ legis. Nam Christo Domino inditæ sunt illæ virtutes, quia omnis perfectio erat illi connaturalis, Adamo vero propter integritatem naturæ, quam decuit Virgini communicari quoad ablationem fomitis, in cæteris vero hominibus manet fomes etiam post iustificationem, ergo frustra, & absque ratione fingitur illis omnibus has virtutes infundi. Deinde potest hoc confirmari ab experientia, quia si illæ virtutes infunderentur, expellerent subito habitus contrariorum vitiolorum, vel saltem iuxta proportionem suæ intentionis illos remitterent, & consequenter darent statim facilitatem in operatione virtutis, vel saltem diminuerent difficultatem, & concupiscentiam, & alios affectus moderarentur. nam hæc omnia pertinent ad formalem effectum, & efficaciam harum virtutum. Docet autem experientia, non ita fieri, alioqui infusio gratiæ posset experimento cognosci. Vnde sicut Concilium Tridentinum dixit in iustificatis relinquere fomitem ad agonem, ita nos dicere possumus, in iustificatis relinquere habitus prauos, si eos antea acquisierant, vel saltem fomitem relinquere sine temperamento virtutis acquisitæ, ut pugnando cum Dei gratia contra vitia mereantur, & ut iustitiæ infusio sit ipsis occulta.

Hoc ergo posito controuersia superest de virtutibus moralibus, quas vocant per se infusas, de quibus duplex est quæstio, vna est, an sint possibiles? Altera an ex lege infundantur omnibus iustis simul cum gratia? In priori quæstione partem negantem sentiunt Scotus, Gabriel, Ocham, Durand, & Henricus in locis infra allegandis. Fundamnetum huius sententiæ esse potest, quia illa virtus est per se infusa, quæ per naturales habitus hominis acquiri non potest, iuxta ea, quæ paulo ante diximus, & iuxta generalem doctrinam D. Thomæ. 1. 2. q. 51. artic. 4. At vero nullæ cogitari possunt virtutes morales, quæ non possint per proprios hominis actus acquiri: quia actus morales versantur circa materiam naturalem, & respectiunt honestatem proportionatam naturæ rationali. Ergo per tales actus potest sufficienter acquiri qualibet virtus, quæ circa talem materiam, & honestatē versatur. Et confirmatur, quia si essent possibiles tales virtutes morales per se infusæ essent specie distinctæ ab acquisitis, non videtur autem possibilis talis distinctio,

naturales acquiri possunt quæstio omnibus infunduntur iustis. Marfilii opinio.

Virtutes morales in infuse fuerunt Christo Domino, B. Virgini, & Adamo.

Virtutes morales non infunduntur omnibus iustis.

Conc. Trident. sess. 5. cap. 5.

3. Prima dubitatio.

Opinio Scoti.

infectio, cum medium, & motuum virtutis, à quo ipsa sumit speciem, vnum tantum sit in qualibet materia istarum virtutum: ergo, &c.

Suppositis autem, quæ in superiori libro diximus de moralibus actibus gratiæ, hæc motiva inefficacia sunt. Idem enim ostensum est in eisdem materijs, in quibus morales virtutes versantur, præter actus ordinis naturalis, posse dari alios actus superioris ordinis, & supernaturales, quia præter motuum naturalis honestatis, quod sumitur ex conformitate ad regulam recte rationis naturalis, dari potest in istis materijs aliud motuum superioris ordinis sumptum ex conformitate ad naturam eleuatam per gratiam, seu ad regulam rationis, & luminis supernaturalis.

Præterquam quod alij opinantur, posse actus supernaturales, à naturalibus distingui ex altiori modo tendendi, licet in materia, & motuo ex parte obiecti continentur, sed probabilius ille altior modus tendendi in altiori etiam motuo fundatur. Hæc ergo distinctio actuum supposita, evidens est, posse dari virtutes morales per se infusas, & specie distinctas ab acquisitis. Quia illi actus, qui innituntur in motuo supernaturali, non possunt elici à libero arbitrio sola potestate naturali; ergo possunt dari habitibus, qui sunt principia talium actuum; ergo sunt specie distincti ab acquisitis, quia & habet obiectum formale diuersum, & ad actus diuersæ rationis inclinant. Item tales habitus non dant tantum facilitas operari, sed dant simpliciter posse, quia voluntas per se est impotens, vt dictum est; ergo non possunt per actus acquiri; ergo per se illis conuenit, vt per infusionem fiant. Denique actus ipsi supernaturales sunt, & infusi, vt supponimus; ergo & habitus debent esse illis proportionati, ac subinde per se infusi, & supernaturales. Quocirca supposita illa doctrina de actibus moralibus supernaturalis ordinis, eadem est ratio virtutum moralium, ac Theologalium, quod ad possibilitatem spectat. Atque ita in hac resolutione conueniunt D. Thom. ceterique Theologi, quos in puncto sequenti referam.

Altera ergo dubitatio est de facto, an hæc virtutes morales cum habituali gratia omnibus iustis infundantur. In qua partem negantem sequuti sunt Henricus, quod lib. 6. q. 12. & Durandus in 3. d. 3. q. 2. & ibi Argentin. quæst. 1. Scot. dist. 36. ar. 3. Ocham. in 4. quæst. 3. ad 3. & 4. dubitationem; & Gabriel, etiam in 4. d. 4. q. 1. Fundamentum eorum videtur fuisse, quia virtutes morales acquisite non infunduntur per accidens cum gratia, præter has autem non putarunt altiores virtutes in illo genere esse posibles. Adduntque nonnulla indicia ab experientia sumpta, quæ supra contra Marfilium attigimus, scilicet, quia si hæc virtutes infunderentur à principio iustificationis, statim darent aliquam facilitatem bene operandi moraliter, & excluderent vitia contraria, & moderarentur passionem: nã hæc omnia videntur necessarii consequi ex quolibet habitu honesto, quia necessè est, vt ad suum obiectum inclinent. Contrarium autem videtur per experientiam constare in adulto nuper baptizato, & antea vitij assueto: non enim in se experitur nouam facilitatem ad bene operandum, nec difficultatem ex antiqua consuetudine prouenientem diminutam. Item si tales virtutes infunderentur cum gratia, cum illa amitteretur, cuius contrarium videtur etiam experiri constare: nam si homo iustus, & longa consuetudine in actibus harum virtutum exercitatus semel peccet mortaliter, nihilominus eandem facilitatem sentit in operibus harum virtutum; ergo signum est nullas virtutes morales cum gratia amisisse.

Præter hanc verò opinionem inuenio aliam, quam refert Paludan. in 3. distinct. 33. quæstione 1. artic. 2. opin. 2. quæ admitteret virtutes morales, quæ non possint ex solis naturalibus acquiri, ac proinde distinctas à purè acquisitis, & nihilominus negabat

illas infundi simul cum gratia & charitate, sed generari dicebat per actus virtutum moralium factos ex imperio charitatis. Fundamentum esse potuit, quia hæc virtutes morales, licet superioris ordinis sint, non sunt simpliciter necessaria, vt voluntas charitate iam informata possit, quasi ab intrinseco principio, & connaturali modo, actus earum elicere; ergo per illos actus poterit (vt ita dicebam) charitas sibi acquirere ceteras virtutes morales; ergo non est necessè, vt cum ipsa charitate infundantur, & dici poterunt per se infusas, non quia immediate à solo Deo fiant, sed quia per priorem virtutem infusam, & per actus supernaturales acquiruntur. Primum antecedens probatur, quia hi actus non sunt aliquo modo supernaturales, nisi quia sibi cõstitunt finem supra ordinem virtutum acquirarum; sed hic finis non est nisi vnus, scilicet Deus, ad quem charitas sufficienter potest referre actus talium virtutum; ergo voluntas informata charitate est sufficiens principium talium actuum.

Nihilominus dicendum est omnibus iustis infundi quatuor virtutes cardinales cum omnibus patribus, seu speciebus suis eiusdem ordinis cum ipsa gratia, ac subinde supernaturales, & per se infusas. Ita docuit D. Thom. 1. 2. q. 63. art. 3. in corpore, & ad 1. & in art. 4. & q. vnic. de Virtutibus in communi art. 10. & in 3. d. 33. q. 1. art. 2. quæstione 3. & 4. & sequuntur omnes Thomistæ Corad. Caiet. & aliqui moderni circa dictum art. 4. Capreol. dicta d. 33. q. 1. art. 1. conc. 3. & artic. 3. ad argumenta contra illam. Hispanen. q. 1. concl. 3. & notab. 6. & Paludan. q. 1. art. 2. Eandem opinionem tenuit ibi Bonavent. art. 1. quæst. 5. Richar. art. 1. quæst. 2. & Gabr. art. 3. dub. 2. & Ocham. in 3. q. 12. artic. 4. dub. 5. quamuis hi duo sententiam postea mutauerint, vt ex allegatis in prima opinione colligi potest. Teneat etiam hanc opinionem Antonin. 4. p. tit. cap. 1. §. 3. & Vega libro 7. in Trident. capit. 24. Et fauet Augustin. circa illa verba Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtute*, vbi numeratis quatuor virtutibus cardinalibus, dicit: *Iste virtutes nunc in consueplorationis per gratiam Dei donantur nobis*. Ratio autem, suppositis principijs supra tractatis, est moraliter efficacissima, quia hæc virtutes sunt posibles in ordine gratiæ; ergo infunduntur cum gratia. Probatur consequentia primò, quia hoc postulat perfectio gratiæ, & iustitiæ supernaturalis. Sicut enim natura postulat intrinsecas facultates quibus possit in omni materia conuenienter operari in ordine ad suum vltimum finem naturalem, ita gratia homini infusa postulat omnia principia intrinseca, quibus homo possit in omni materia operari conuenienter in ordine ad finem supernaturalem, & idè sicut potentia naturales concreantur animæ ex connaturali vinculo, ita hæc virtutes infunduntur cum gratia, quasi ex debito ipsi gratiæ connaturali.

Secundò eadem est necessitas harum virtutum moralium respectu suorum actuum, quæ est virtutum Theologaliu ad suos; ergo sicut Deus infundit Theologales virtutes, quia est consentaneum prouidentie suæ dare intrinseca principia operandi, ita ob eandem causam morales infundere debet. Dices: quamuis necessitas proportionalis (vt ita dicam) sit eadem, absoluta necessitas non est æqualis, quia actus supernaturales moralium virtutum non sunt tam necessarij ad salutem, sicut actus Theologici. Respondeo in primis satis esse, quòd modus operandi supernaturaliter in materijs moralibus sit excellentior, & maioris meriti ad salutem, vt intelligamus Deum per se ordinare iustum ad operandum hoc modo in omni materia, & hoc satis est, vt illi det principia illis actibus consentanea, ac deinde sæpè contingere potest necessitas operandi ex motuo supernaturali in materia morali, præsertim propter materiæ excellentiam, vel insignem difficultatem, vt videre licet in actibus penitentia, & religionis, martyrij, propoliti seruand. di vir.

4.
Eternantur
superiores
rationes.

Opinio qua-
dam.

Vera asser-
tio, & prima
dubitationis
resolutio.

5.
Dubitatio 2.
Opinio 1.

6.
pinto 2.

7.
Assertio 2.
Resolutio
dubitationis
secundæ.

8.
Assertio
fundament.

Obiectum

Solutio

D. Bonau.
ratio expo-
nitur.

di virginitate, & similibus. Vix enim potest homo ad huiusmodi actus elicendos assurgere, nisi aliqua supernaturali ratione proxime moueatur. Debit ergo homo per diuinam gratiam habitualiter disponi ad hunc operandi modum. Addit Bonau. fuisse etiam virtutes necessarias, vt mereri possit in omni materia virtutis. Quia ratione aliqui impugnat quia per actum virtutum moralium, acquiratur mereri possumus. At vero ratio Bonau. intelligenda est de merito ex intrinseca dignitate actus, ita n. sunt meritorij actus virtutum infusarum, et moralium, etiam si virtute Theologica non imperentur, quia per se habent proportionem cum beatitudine supernaturali, atque ad illam ex se tendunt, ac proinde illam et ex se merentur. Actus autem acquiratur virtutum non sunt ita meritorij beatitudinis, nisi ex imperio alicuius infusae virtutis ad altioris ordinem subleuentur. Atque in eodem fere sensu dixit Caietan. dari has virtutes, vt iustus sit interius bene dispositus in omni materia virtutis, non tantum in ordine ad finem supernaturalem, sed etiam respectu mediourum vtique quatenus in ipsis medijs inueniri potest intrinseca honestas supernaturali fini proportionata: nam alioqui charitas potest ordinare ad finem supernaturalem, et actus virtutum acquiraturum.

Ex quibus facile est fundamentis aliarum opinionum num satisfacere. Ad primam n. fatemur cum gratia non infundi per accidens virtutes acquiras, addimus vero per se infusas non solum esse possibiles, verum etiam consentaneas, & quodammodo debitas sanctificantis gratiae. Quod vero quidam obijciunt, quia tales virtutes erunt aequiuoce virtutes, friuolum est, quia conuenientia in genere non est aequiuoca, virtus autem moralis abstrahi potest tanquam vnus genus viuorum ad virtutes infusas, & acquiras. Et licet daremus hic interuenire aliquam analogiam, nihil refert, quia sic etiam virtutes morales infusae principalis, & proprius virtutes dicerentur. Ad signa vero ab experientia sumpta communis responsio est has virtutes dare potestatem efficiendi actus supernaturales in materijs moralibus, & ideo earum praesentiam, vel absentiam non posse satis per experientiam discerni. Quae doctrina in sensu, quo traditur, vera est, indiget tamen explicatione. Duplex n. facilitas, vel difficultas (vt supra tetigit) distingui potest, vna est intrinseca, quae per se inest cuiusque facultati respectu actus, ad quem inclinatur. Alia est per ablationem impedimentorum, quae per accidens occurrit. Haec igitur virtutes priorem dant facilitatem, eo ipso, quod intrinsecam conferunt operandi facultatem ad actus, ad quos connaturaliter inclinantur tanquam ad finem suum, & vltimum actum. Vnde cum haec virtutes intrinsece insint suis potentijs, sunt veluti pondera quaedam ad suos actus inclinantia potentias. Hoc ergo modo dant intrinsecam facilitatem, sicut supra etiam de Theologicis virtutibus tetigimus. At vero extrinsecam facilitatem non praebent, quia contraria difficultas provenit, aut ex naturali ignorantia, vel inconsideratione, aut ex fomite concupiscentiae, vel corporis corruptibilitate, haec autem impedimenta per has virtutes non auferuntur. Addit praeterea D. Th. in d. 4. q. 2. ar. 2. ad 4. & ibid. Cap. art. 3. ad 4. has virtutes non expellere formaliter contraria vitia. Quod verissimum cenfeo, quia proprie, & formaliter non sunt contraria quoad formales effectus, quia non sunt eiusdem ordinis: nam habitus acquiras quasi auger inclinationem naturalem ad actum acquiras, & ideo dat facilitatem, virtus autem infusa non opponitur illi inclinationi directe, sed confert novam potestatem ad actus altioris generis, & ideo non excludit formaliter acquiras habitum vitij. Ideoque etiam ex hac parte non minuit difficultatem, quae ex precedenti prava consuetudine saepe oritur. Et eadem, vel maiori ratione prudentia infusa non excludit phantasmatum, & species obiectorum sensibilibus, & facilitatem acquiras circa usum illorum in ma-

terijs, vel rebus inordinatis, vel delectabilibus, quae vehementius excitare solent corruptam naturam, & propterea etiam ex hac parte, non obstantibus his virtutibus moralibus infusis, difficultas operandi virtutem moralem integra manet. Et hinc tandem fit, vt neque harum virtutum infusio, neque harum amissio possit experimento cognosci, quia nec expellunt vitia, nec moderantur passionem, & quamvis iustus aliquam maiorem facilitatem interdum in se sentiat, diiudicare non potest, an ex infuso habitu, vel ex aliqua acquiras dispositione oriatur.

Instari vero potest specialiter de virtute fortitudinis, & temperantiae, quae iuxta sententiam satis communem sunt in appetitu sentiente, ideo, si infunduntur, in illo infundi debent; ergo non possunt non moderari passionem eius, quia & sunt qualitates corporales, sicut ipse appetitus, & vix potest intelligi esse supernaturales quoad substantiam, quia appetitus sensitivus non videtur capax actuum adeo supernaturalium, vt ex supernaturali motu eliciantur. Nam internus sensus, a quo mouetur hic appetitus tam excellens motuum apprehendere non valet. In hoc puncto Medina quae. 63. artic. 3. concedit illas virtutes esse in appetitu sensitivo, quia etiam illae ponunt medium supernaturale inter affectus appetitus diuini. sensitivi; ad difficultatem ergo propositam nihil respondet. Dico vero, negari non posse, quin omnes virtutes infusae, etiam temperantiae, & fortitudinis, principaliter sint in voluntate, quicquid in hoc sentiat de temperantia, & fortitudine acquiras, quod hic definire nolumus. Ratio est, quia proprius, & formalis actus studiosus, & honestus in quacumque materia virtutis est in voluntate, siue sit acquiras, siue infusus. Nam velle fortiter, & temperate viuere actus voluntatis est, nam voluntas est, quae principaliter tendit in honestatem illius obiecti, & ab illa mouetur appetitus ad operandum conuenienter circa talem materiam, ac denique actus appetitus per denominationem ab actu voluntatis habet esse morale, & bonitatem moralem; ergo proprius, & formalis actus vtriusque virtutis infusae, & acquiras est in voluntate. Differunt autem, quia actus acquiras potest fieri proprijs viribus voluntatis, & ideo ex hac parte non requirit habitum. Quod si fortasse in voluntate ipsa nulla est intrinseca difficultas in actibus acquiras fortitudinis, & temperantiae, sed tota provenit ex appetitu sensitivo, non indiget voluntas habitu proprio dante facilitatem, sed in appetitu sufficit. At vero actus infusus in materia fortitudinis, & temperantiae, supernaturalis est quoad substantiam, & ideo voluntas non habet naturalem potestatem ad efficiendum illum, & ideo voluntas omnino indiget habitu infuso, qui det illi intrinsecam potestatem agendi. Quae ratio videtur mihi omnino conuincere, & in vniuersum probare in illa potentia esse virtutem infusam, quae elicit actum eius: nam quod quidam dicunt, in voluntate sufficere charitatem ad eliciendos actus harum virtutum, mihi probabile non est, vt statim circa secundam opinionem supra relata dicam. An vero ultra habitus voluntatis, ponendi sint etiam in appetitu sensitivo habitus infusi temperantiae, & fortitudinis? mihi incertum est, quia rationes positae in obiectione videntur probare appetitum sensitivum non esse capax actuum supernaturalium, quoad substantiam, & consequenter neque habitum per se infusorum. Quod si hoc verum est, non procedit obiectio facta, negatur enim assumptum, neque argumentum a virtute acquiras sumptum est validum, vt declaratum est. Neque etiam obstat, quod fortitudo, & temperantia infusae ponant medium in affectibus appetitus sensitivi, quia ponunt illud non immediate, sed medio habitu voluntatis, ac proinde non eliciendo, sed imperando, seu (quod idem est) non formaliter efficiendo appetitum, sed quasi obiectum circa illum operando. Quod si in appetitu non dantur

9.
Instantia
fortitudi-
nis, tempe-
rantiae.

Opinio Me-
dinae.

Assertio sol-
utionis.

Ad experi-
entiam signa.

dantur tales habitus per se infusi, profecto neque acquiritur ei per accidens infunduntur ex vi gratiæ, ut dictum est. Quod si quis sentiat (quod non est improbabile) appetitum esse capacem habitus infusi, ut sit facile mobilis à voluntate supernaturaliter illum mouente, consequenter dicere potest fortitudinem, & temperantiam infusam ponere etiam habitus quasi secundarios in appetitu sensitivo, eosque esse per se infusos, ac subinde dari ad aliquos actus supernaturales, quorum est capax appetitus ex supernaturali motione voluntatis. Et tunc obiectioni factæ occurrendum est, negando consequentiam, quia etiam isti habitus appetitus dantur potestatem, non facilitatem, quæ provenit ex remotione impedimentorum, & ideo licet ipsi in entitatibus suis materiales sint, non possunt satis per effectus sensibiles experimento cognosci. Quid autem de his habitibus appetitus sensitivi verius sit, alius nunc iudicandum remitto: nam ex actum illius inquisitionem in tractatum de Charitate referuo.

Obicitur
obiectioni.

10.
Ad fundamenta
sorum
na opin. onu.

Ad alteram opinionem quasi mediam respondeo, aut non constanter loqui, aut repugnantiam inuoluere. Quia virtutes morales duobus modis possunt dici esse superioris ordinis, & non posse naturalibus viribus acquiri. Primo in proprio sensu explicato, scilicet, quia & in sua entitate, & in suis actibus sunt in substantia supernaturales, & si sententia illa ita de his virtutibus sentit, falsum est, quod ait, voluntatem sola charitate informatam habere sufficiens principium intrinsecum ad eliciendos actus harum virtutum, quia charitas nullos actus moralium virtutum elicit, sed imperat, quia non operatur immediate ex motu temperantiæ, fortitudinis, &c. in quibus est propria, & specifica honestas longe diuersa à motu charitatis. Alioquin confunderentur omnes virtutes voluntatis, & una charitas ad omnium actus eliciendos sufficeret. Et præterea charitas non solum potest imperare actus moralium virtutum, sed etiam spei, nam sicut Paulus dixit, *charitas omnia suffert*, ita etiam dixit, *Charitas omnia sperat*. 1. ad Corint. 13. Quis ergo propterea dicit, voluntatem charitate informatam habere sufficiens principium intrinsecum ad eliciendos actus spei, & ideo virtutem spei non infundi simul cum charitate? Quod si hoc dici non potest, cum Concilium Tridentinum, sess. 6. capit. 7. oppositum doceat, profecto nec de aliis virtutibus per se infusis dici potest. Unde etiam falsum, & repugnans est, quod illa sententia dicit, has virtutes acquiri per actus suos. Infra enim ostendimus, virtutem infusam non posse fieri per actus etiam supernaturales. Alio modo possunt dici virtutes morales superioris ordinis, quatenus referuntur ad finem supernaturalem, & propter illum operantur ex imperio charitatis, quamuis in substantia sua supernaturales non sint. Et si hunc sensum intendat illa sententia, falsum, & repugnans est, quod ait esse distinctas virtutes ab acquisitis. Nam si actus temperantiæ v.g. ex obiecto, & motiuo acquisitus sit, seu naturalis, licet fiat ex imperio charitatis, non generabit aliam virtutem, præter acquisitam, quia actus facit habitum per suammet entitatem, & ut est in tali specie essentiali, & in ordine ad idem obiectum, & motiuum intrinsecum, nam accidentaliter species, quæ ex fine extrinseco sumitur, neque est intrinseca actui imperato, sed est sola denominatio ab actu imperante, neque manet in ipso habitu, nisi per coniunctionem, & subordinationem ad habitum charitatis. Undelicet charitas amittatur, manebunt illæ virtutes, quoad totum suum esse intrinsecum, non minus, quam si acquisitæ essent per actus imperatos à charitate. Et de conuerso, licet illi habitus essent ante charitatem, ac subinde per actus ab illa non imperatos acquisiti, adueniente postea charitate, haberent eandem subordinationem cum illa, non minus, quam si per actus à charitate imperatos fuissent comparati. Est er-

go improbabilis illa opinio media, & fundamentum eius ex dictis manet solutum. Nam virtutes morales infusæ non sunt supernaturales (proprie loquendo) quia ad finem vltimum supernaturalem ordinantur, sed quia habent finem proprium, & intrinsecum supernaturalem; illi autem hines intrinseci, tot distincti, quot virtutes morales & ideo licet finis charitatis, qui est extrinsecus respectu virtutum moralium, vnus sit, nihilominus sola charitas non est sufficiens principium proximum actuum talium virtutum, & ideo necessariae sunt virtutes morales simul cum ipsa charitate infusæ.

Vltimo interrogare possumus, quod de aliis habitibus infusis fecimus, quam sit certa hæc assertio virtutum moralium per se infusarum. Nonnulli enim ex sectatoribus D. Thom. illi tribuunt ferè certitudinem fidei. Nam Capreol. in 3. d. 33. q. vnica. ar. 3. ad 2. contra tertiam conclusionem erroneam vocat contrariam sententiam. Et præcipue fundatur in Clem. vnic. de Summ. Trinit. vbi Clemens approbat opinionem illam, quæ affirmat infundi pueris baptizatis gratiam, & virtutes. Et quoniam Durand. respondet, Concilium loqui de virtutibus Theologicis, ipse ait expositionem esse erroneam, quia omnes glossæ Sanctorum, inquit, etiam de aliis virtutibus id intelligunt, & specialiter adducit glossam vique interlinealem, & Nicolai de Lyr. in illud ad Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde*, addit Glossa ad remissionem omnium peccatorum, & copiam virtutum, non datur autem, inquit Capreolus, copia virtutum, si tantum Theologales infunderentur. Magis tamen posset vrgeri contra Durand. quia Clemens de illis virtutibus loquitur, de quibus Innocent. in cap. *Maximes* de Baptismo: nam quod hic indecisum reliquerat, ille approbat. At Innocent. videtur plane virtutes morales comprehendere: si enim ait referendo opinionem. *Eidem, aut charitatem, aliasque virtutes*. Præter fidem autem, & charitatem non sunt alie virtutes Theologales: ergo, per alias virtutes, morales intellexit. Præsertim quia si solas Theologales numerare voluisset, facilius, & clarius addidisset spem, quam generaliter alias virtutes. Propter quod etiam Conrad. 1. 2. q. 62. art. 3. dixit opinionem Durand. esse contra definitionem Ecclesiæ. Medin. vero eodem art. 3. dicit esse secundum fidem catholicam certum, dari etiam aliquas virtutes infusas morales, scilicet, prudentiam, penitentiam, religionem, & continentiam. Quod solum probat quibusdam testimoniis scripturæ. De cæteris vero dicit esse ingentem temeritatem illas negare, quia earum positio est valde consentanea scripturis, Conciliis, & Patribus. Et idem habet quæ. 51. ar. 4. dub. 2.

Nihilominus certum est, non esse de fide, infundi cum gratia aliquam virtutem morale. Hoc mihi certum est ex discursu facto in præcedentibus capitulis, in quibus ostendimus ante Concil. Trid. non fuisse de fide infundi nobis virtutes Theologicas; ergo multo magis non erat de fide infundi virtutes morales, sed Conc. Trident. nihil de his virtutibus deimmutauit, neque de illis non solum in specie, verum etiam nec sub generali appellatione virtutum loquutum est, sed solum semel dixit fieri infusionem gratiæ, & donorum, & iterum dixit, infundi hæc tria, fidem, spem, & charitatem. De virtutibus autem moralibus neque verbum. Quod si quis dicat sub donis illas comprehendisse, poterit hoc, probabili fortasse coniectura opinari, non tamen, vt certum asserere. Solum in canon. 3. nominauit Concilium penitentiam cum fide, spe, & charitate, sed ibi loquebatur de actibus, non de habitibus, & de actu illo penitentia probabilissimum est, esse actum elicitum ab habitu charitatis.

Quod autem Medina dicit, ex sola scriptura sufficienter probati de fide dari aliquas virtutes morales infus.

infusus, valde frivolum est: nam testimonia, quæ adducit, nullius sunt momenti, vt late ostendunt alii recentiores Scriptores in illum locum. Sed hunc laborem tanquam inutilem omitto. Tum quia idem Med. q. 51. ar. 4. dub. 1. dicit ex sola scriptura non sufficienter probari de fide infundi virtutes Theologicas. Quomodo ergo affirmare potuit, id probari de aliquibus virtutibus moralibus. Tum etiam quia ex testimoniis, quæ adducit, ad summū probatur, Deum mediante fide, & gratia iuvare hominem ad actus virtutum moralium acquiritorum, vel etiam ad acquisitionem illarum, quod verissimum est, vt lib. 1. vidimus. Et ita sufficienter intelligitur quod de divina sapientia dicitur Sapient. 8. *sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem*, quibus virtus nihil est in vita hominibus. Nam siue id intelligamus de sapientia increata quæ nos illuminat, & iuvat ad opera, illarum virtutum, siue de sapientia creata, quæ est illius participatio, quæ per fidem nobis communicatur, etiam de virtutibus moralibus acquisitis verum est divinam sapientiā docere nos has virtutes? Nam per fidem possumus etiam prudentiam acquirere dirigere. Imo sicut discurrendo speculatiue, ex fide acquirimus Theologiam, ita discurrendo practice possumus prudentiam acquirere: per prudentiam autem docentur, seu diriguntur alie virtutes voluntatis, & simili modo fides docet nos orare, & colere Deum, etiam si ex parte voluntatis contingat illos actus esse virtutis acquisitæ, & ideo quamvis oratio v. g. tribuatur Spiritui sancto ad Romanos. 8. non sequitur esse actum elicictum à virtute religionis per se infusæ. Et ita facile explicantur alia omnia, quæ cum specialiqua probabilitate afferri possunt, alia enim, quæ citantur propter solum nomē virtutis, vt illud. *Qui operatur virtutes in vobis*, ad Galat. 3. indigna sunt, quæ à Theologis afferantur.

14. Addo præterea Concilium Viennense, non solum non definitum de fide hanc veritatem, verum etiam neque novam certitudinem illi addidisse. Primum patet, quia sententiam illam de virtutibus infusis solum vt probabiliorē approbavit. Secundum patet, quia indefinitè loquitur de virtutibus; ergo sufficienter posset intelligi de Theologicis, maxime cum Concilium Tridentinum postea alias non nominaverit. Nec refert quod Innocentius III. post fidem, & charitatem dixerit, *& alias virtutes*: nam id solum dixit referendo opiniones, inter quas aliqua etiam tunc erat, quæ morales etiam virtutes infusas admittebat. Inde autem non fit, vt Concilium Viennense illam opinionem approbaverit; imo eligendo alium modum loquendi, ab illa opinione abstrahere voluisse ostendit. Est etiam (quod supra notavimus) maxime considerandum, controuersiam illis locis à Pontificibus relata, non fuisse, an virtutes infundantur, sed id suppositum fuisse quoad adultos, dubitatum autem fuisse an virtutes, quæ infunduntur adultis, infundantur etiam paruulis, & quoad hoc affirmantem opinionem approbavit Concilium. Quæ vero, vel quot virtutes infundantur, siue adultis, siue paruulis, ibi nec tractatur, neq. approbatum est. Solum ex hypothesi colligi potest ex illo Concilio, quod si virtutes morales infunduntur adultis, infunduntur etiam paruulis, quod verissimum est.

15. Concludendum est igitur, hanc assertionem solum esse opinionem Theologica probabiliorem, non quidem in eo gradu vt contraria temeritatis nota, vel alia simili censeretur, sed solum, vt à pluribus, & melioribus Theologis probatam, & ratione melius fundatam, magisque piā, & modo etiam loquendi sanctorum magis consentaneam. Ita sensisse videtur Caietanus dist. c. 62. ar. 3. & Soto lib. 2. de Natur. & grat. cap. 17. & 18. & fere omnes moderni. Neque aliud sentit Valentia tom. 2. disp. 5. q. 6. punct. 1. vbi hanc sententiam dixit longe veriorē esse, & magis consentaneam scripturæ, & Patribus, quod dici potuit, pars 3.

etiam si ex Scriptura sufficienter non probetur, quia quæ de his virtutibus docet, possunt etiam optime de infusis intelligi, & multæ locutiones in faciliori, & altiori sensu ita intelligentur, vt est illud Sapient. 7. *Imnumerabilis honestas per manus illius*, & quod ex cap. 8. supraretulimus, & illud ad Coloss. 1. *Crecentes in scientia Dei in omni virtute, confortati secundum potentiam claritatis eius*. In Patribus etiam multa inveniuntur, quæ licet omnino non cogant, satis sunt, vt hæc sententia dici possit illis magis consentanea. Augustinus enim tract. 8. in 1. epist. Ioannis dicit Christum in nobis per fidem vti his virtutibus (vtique moralibus) vt ministris suis, & 4. contra Iulian. cap. 3. ex professo docet non esse veras virtutes, nisi per fidem ordinentur ad finem charitatis, quæ possunt intelligi de virtutibus acquisitis, quæ non censentur Christianæ virtutes, nisi informantur charitate, sed altiori modo in virtutibus per se infusis illa verum habent. Allegari etiam solet Augustinus concion. 26. in Psalm. 118. vbi dicit iustitiam esse opus gratiæ. Sed ibi non agit de particulari iustitia morali, sed de illa, quæ iustificat impium. Gregorius etiam Homil. 5. in Ezechielem, & 2. Moral. cap. 26. alias 36. Spiritui sancto tribuit has virtutes morales. Et idem fere habet Ambrosi. 6. Exameron cap. 7. & lib. 5. in Lucam. Ac denique Hieronymus præfat. in Lamentat. Jeremiæ, dixit hominem peccando omnes virtutes amittere, quod melius de his virtutibus, quam de acquisitis intelligitur. Hæc *vide cap. ergo satis sunt, vt hæc sententia magis consentanea illa anima Patribus esse dicatur, cui non parum probabilitatis adiunxit catechismus Ecclesiasticus à Pio V. probatus, qui tractando de Baptismi effectu in illo posuit, d. 2. nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in animam simul cum gratia diuini infunduntur.*

CAPVT X.

Verum præter virtutes omnes infundantur cum gratia habituali dona Spiritus sancti, quæ sint etiam habitus supernaturales à virtutibus distincti?

A Vthores, qui negant dari actus supernaturales diuersæ rationis ab actibus virtutum, & peculia- *1. Sententia ratiōe attributos Spiritui sancto, qui ex singulari eius instinctu sunt, consequenter etiam negant dari habitus donorum à virtutibus distinctos. In qua sententia sunt Scotus, Maior, Gabriel, & alii, quos cap. 12. & 16. libri præcedentis allegavi, qui præter supra dicta, vt solent hac ratione; quia impossibile est dari habitus donorum, qui non sint virtutes, quia tales habitus non possunt non esse boni, & honesti, imo & optimi, quia ad optimos actus inclinant; ergo reddunt bonum habentem, quia disponunt illum ad bene, & optime operandum; ergo sunt virtutes, quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, seu quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Et alioqui dona ponuntur esse per se infusa, ergo erunt virtutes per se infusæ. Quomodo ergo distinguere poterunt à virtutibus infusis? Verum tamen hæc ratio solum de nomine contendit, ideoque tollenda est ambiguitas vocis: nam generali quadam ratione, & omnes virtutes infusæ dona sunt, quia ab Spiritu sancto dantur, vt eis promoueamur ad salutem æternam, sicut Iacobus dixit. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre lumine.* In qua significatione non solum virtutes, sed etiam gratiæ gratis datæ possunt dona vocari, iuxta illud Pauli ad Corinth. 12. *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, &c.* Imo non solum habitus, sed etiam actus infusi possunt dona Spiritus sancti vocari: nam Apostolus ibi de operationibus præcipue loquitur, & Augustinus dixit, Deum voluisse, vt sint nostra merita, quæ sūt ipsius dona, quod dixit*

Virtus quid

Ambiguitas tollitur.